

**INITIUM
SANCTI EVANGELII
SECUNDUM JOANNEM.**

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus á Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST,** & habitabit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti á Patre, plenum gratiæ, & veritatis. *ñ. Deo gratias.*

**SACERDOS
CUM LAVAT MANUS
DICAT.**

Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta es muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in directo; in ecclesiis benedicam te Domine.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.